

Bibliothèque numérique

medic@

**Gilles, Antoine-Martin - candidat /
Mertrud, Jean-Claude - président. -
[De parellae fracturâ]**

1760.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Collegii & Academiae Regii
Chirurgorum Typographi
Cote : ms 2342, n°74***



D. O. M.

THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



UTOPSIÆ Anatomicae subjiciens varia instrumenta, innumerasque machinas quibus conficitur humana compages, nobilissimum sanè supremi Conditoris opus, quis non exclamet? Sed pro dolor! Ex corporis œconomia necessariò sequitur mors naturalis! Quot diversæ fluidorum species, quot discrepantia vasculorum genera, quot movendis, firmandisque aliis partibus columnæ, trabes, hypomochlia, cunei, vectes, &c. tot variæ morborum sedes! Felices adhuc æstimandi homines, si sanitatis sororem sapientiam colentes imminens lethi punctum temerè non accelerarent: Illud retardare, furentes ac renascentes morborum hydras oculato ferro debellare, arduum Chirurgi opus! Totus incumbit in inveniundo quid natura faciat aut ferat. Quanta requiratur in investigando sagacitas, in restituendo solertia, solus videt qui hanc artem ad amussim tenuerit. Patellæ fracturam aggressuri quædam anatomica præmittemus.

IN inferiore femoris, & superiore tibiæ parte deprehenditur os spongiosum, cordiforme, aut hypocaustani vulgaris fructus similitudinem referens, genu propriè dictum constituens, patella sive rotula, mola, scutum & os scutiforme dicitur; dividitur in basim, apicem, facies & limbos.

BASIS sursùm spectans, quatuor musculis extensoribus suræ insertionis punctum præbet, apex verò, firmissimo ligamento, tibiæ tuberositati necitur. Facies numero duæ; externa planior, licèt inæqualis, & quodam modo convexæ superficiei, lineas quasdam osseas, alias aliis super



additas, foraminulis, tuto vasorum substantiam osseam irrorantium itinere, insignitas exhibet. Tendinosis, ligamentosisque fibris in hanc faciem mirum in modum insertis; nullus datur periosteo locus. Interna rotulae facies, articulari cartilagine instructa, duas habet foveolas; lineam prominentem à basi ad apicem distinctas, & cum inferiore femoris parte quae trochlea dicitur articulum petit; externa cavitas amplior, ac tenuior, majori femoris processui, interna minor & crassior, minori ac internae ejusdem ossis eminentiae responderet: patet ex inde totam rotulae cartilaginem adaequatè femoris trochleae coaptari, hypomochliumque musculis tibiam extendentibus suppeditare. In toto sui margine, in quo limbes videre est, globuli deprehenduntur adiposi, vasculis sanguiferis, porisque sinoviales humorem in articulum sudantibus repleti: linea insuper, ossea tenuior cui plura inferuntur ligamenta: scilicet 1°. Membrana capsularis, fasciis ligamentosis firmata, cujus ope, rotula capsulae ligamentosae articuli genu, partem efformat. 2°. Ligamenta tria, quorum duo exteriora, à limbis ad latera decurrunt, & anteriorem capitis tibiae partem petunt. Tertium ab infima faciei cartilagineae parte procedens, anteriori parti lunulae inter condylos femoris excavatae inseritur (a).

QUI tibiam extendant musculi quatuor numerantur. Primus teres anterior vel rectus, duobus tendinibus litteram Y. efformantibus superius nequitur. Scilicet superiori ac anteriori processui spinali ossis ilei, marginique superiori cavitatis cotyloideae ossis ischii; carnea musculi pars femoris longitudinem decurrens, definit in tendinem basi rotulae, cum sequentibus, finiendum. Secundus cruralis, anteriori femoris faciei, immediate à superiore circiter, ad inferiorem partem subjacet. Tertius & quartus vasti, internus & externus: prior, internam femoris, à minori trochantere, posterior externam ejusdem ossis faciem à majore trochantere ad inferiorem partem decurrit; tandem cum terete anteriore & crurali desinunt in tendinem firmissimum, rotulae ita coadunatum, ut rotulam hujus tendinis processum diceret, quae mediante tibia extenditur.

ARTERIAE & venae popliteae articulum ambientes, huic sanguinem suppeditant, reducemque in cruralem venam eructant. Nervos à crurali & ischiatico partes praedictae recipiunt. Nec desunt vasa lymphatica, in glandulas inguinum tendentia. Aponevroses, gluteorum & fasciae latae, quibus addas, in mulieribus, ligamentorum teretium uteri propagines partes subiacentes investiant, partimque textum cellularem firmant.

SOLUTA cohaesio partis durae à causa contundente, fractura dicitur. Talem simplicis patellae fracturae causam ne existimes! Omnis enim causa contundens, ut advertenti patet, non nisi complicatas exhibet rotulae fracturas, quae sunt vel longitudinales, vel transversae, vel obliquae, vel in plura fragmenta, &c. Simplex verò de qua hic agitur fractura non fit nisi transversim, tum ratione situs, tum defectu elateris in osse; quando scilicet genu ultra modum flexo; si vehementiori motu contrahantur musculi surae

(a) Jacob, Benign. Winslow. Exposit. Anat. *Traité des Os frais*,

extensores, labentis corporis pondus sustinere inepti, tunc rotula flecti nescia, tantòque oneri impar, in duas frangitur partes, quarum superior tendini musculorum, inferior ligamenti tibiæ adhæret, spatium inter utramque plus minùsvè latum efformans.

PROPRIIS & communibus signis dignoscitur fractura patellæ: alia rationalia, sensibilia alia. Rationalia, dolor, motûs impotentia, labendi modus. &c. Sensibilia visui, tactui, auditui eò faciliùs patent, quo majori mole donatur fragmentum superius: sin minùs, contrà: cave autem ne, in judicio anceps improvidè genu flectas! Quanta inde oriuntur accidentia! dolores intolerabiles, nervearum, aponevroticarum, ligamentosarum partium dilacerationes, convulsiones, partiumque ab invicem dimotio talis, ut difficillimè in pristinum locum reduci queant (a).

PROGNOSIS pro variâ specie differt. In genere, mali ominis est rotulæ fractura: disrumpitur enim cellulosa ossis fabrica, undè plurima mala ab humoribusextravasatis, aut in articulum delapsis nasci poterunt. Ligamentis, quibus donatur, laceratisirritatisvè, inflammatio, convulsiones, calli inæqualitas, defectus, deformitas & anchylofes ut plurimùm sequelæ. Datâ tamen accidentium paritate, transversa pejorem effectum, longitudinali prodit. Tendinis enim musculorum extensorum, ut jam diximus, partem efformat rotula; undè si transversim frangatur, statim turbatur horum musculorum directio & efficacia; ultrâ modum contrahuntur spontaneâ contractione ac elaterio, partemque ossis cui adhærent retrahunt, maximè, si fragmenta ab invicem, majori spatio recesserint. Inter complicatas, quæ à globulis sclopetariis, aliisvè instrumentis bellicis nascuntur, multò majus periculum portendunt quam à lapidibus, fustibus, aliisvè instrumentis; in prioribus enim truncatio membri, plerùmque sola fit anchora salutis, undè spes in angusto est, & pericula multa circumstant.

In curatione quatuor presertim attendenda, 1°. Ut fragmenta ritè & adæquatè ad invicem accedant & coadunentur, 2°. Ut deleatur musculorum extensorum contractio & alter nimius, quod maximè momenti est ut optatum feratur punctum, 3°. Ut idoneâ deligatione partes contineantur ac firmentur, 4°. Ut calli deformitas, substantiæ medullaris extravasatio nimia & anchylofes vitentur.

REPOSITIONEM fragmentorum, si adsit inflammatio aut ingurgitatio insignis, differre juvat, donec, in quantum possibile, discussum fuerit illud accidens; quod quidem obtinetur, repetitis venæ-sectionibus, resolventium, discutientiumvè fomentorum inflammatae parti applicatione, diætâ tenui, aliisque, suo loco inflammationem, succorum luxuriam, variaque accidentia debellaturis. Quibus peractis, necesse est musculos extensores, in

(a) Refert Clariss. D. Petit virum quemdam, similibus motibus, tantis cruciatibus vexatum fuisse, ut ob vehementem dolorem, in lypothimiam evanuerit; quibus iteratis acerrimus dolor miserum tandem placido sopore necavit. *Traité des Maladies des Os*, Tom. 2. pag. 235.

4

tantum elongare quantum à naturali statu fragmentum superius recesserit; quod fit pollicibus, alternis vicibus, ad fragmentum conducendum immisiss, crure interdum in quantum extensibile, extenso, ægroque ab omni hujus partis motu abstinente: extensis musculis succedit coaptatio, quâ Chirurgus fragmenta utrâque manu studet ad pristinam figuram reducere. Reducta in pristinas sedes fragmenta ritè contineantur; donec splenio crassiore, fasciâque quinque circiter ulnis longâ, duobus pollicibus latâ, femur ab inferiore ad superiorem partem variis circuitibus ambiente, debilitetur musculorum contractio quod, ut suprâ monitum præcipue confert.

Post hanc deligationem altera requiritur sequenti ordine, 1°. Splenium semi-ulnâ longum, sex digitis latum, in mediâ sui parte perforatum & in quatuor capita desinens, cui super imponuntur cartulæ duæ lunatæ, lineis circumductis emollitæ, rotulam ambientes, novâque fasciâ priori simili sed in duo capitâ volutâ firmatæ. Porro hæc fascia, mediâ sui parte superiori fragmento immittitur, duos circulares, poplitium decussantes, totidemque in inferiori fragmento exhibens, tandem post plures & alternos circumductus figuram arithmeticam 8. æmulantes, rotulam cartulasque tandiù attrahit, donè in debito situ firmentur. Tunc invertuntur quatuor splenii capita superiora inferiùs, inferiora superiùs tendentia; miroque artificio, integram deligationem firmantia, idoneis aciculis affiguntur. Quibus peractis, accedit instrumentum baculis tenuioribus aut straminibus in cylindraceum ordinem dispositis constatum, spleniisque in duo capita volutum, Gallicè *des Fanons*, quo mediante pars in idoneo situ firmatur, molliori pulvinari imposita, eo tamen modo, ut pes sit genu altior, ob faciliorem sanguinis reditum; talario tandem, soleâque ritè deligatâ, perficitur apparatus,

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. JOANNE CLAUDIO MERTRUD, Artium & Chirurgiæ Magistro, rueri conabitur ANTONIUS - MARTINUS GILLES, Parisiensis, Artium Liberalium Magister, & in Nosocomio Parisiensi, Chirurgus Præcipuus.

P A R I S I I S.
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die Martis 30^a. Septembris à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam
anno R. S. H. 1760.*

P R O A C T U P U B L I C O
E T S O L E M N I C O O P T A T I O N E.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Collegii & Acad. Reg. Chirurg. Typographi 1760.